



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Dictamina Stoica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



& vivendo periclitamur. Id unum solari nos potest, neminem coepisse vivere, qui non caeperit simul mori; atque ita vivere & pati eodem momento inchoare, eodem desinere.

99. Virtuti tanta est accessio ab eo, qui patitur malum, à quo illa abhorret, quàm ab illo, qui gaudet de bono, quod illa prosequitur. Miserum te! si anima in corpore, alio quàm salis munere non fungitur, id est, conservandi, non gubernandi.

100. Virtus quidem est accidens hominis, sed quæ substantiam conservat. Condidit Deus creaturas omnes, ut serviant homini, hominem verò, ut cum omnibus illis serviat Deo. Virtus sola est, quæ te hoc honore dignum efficit; & tu per illam eundem tribue Creatori.



## Dictamina Stoica.

### DECAS I.

#### I.

**Q**uemadmodum non quod possidemus, sed quod in votis est, delectat ita non quod deest, affligit, sed quod concupisci-



cupiscimus. Æquè beatus erit, qui nihil lo  
cupit, quàm qui habuerit omnia. Carere m  
cupiditate thesaurus est omni Regno lo- vi  
cupletior. Quanta non Regibus defunt! at m  
qui nihil cupit, abundat. de

2. Gaudium non est donum fortunæ, te  
sed supellex cordis domestica: non quia no  
illud foris non nascitur, sed quòd animus se  
lætitiæ patria sit, & pater. Latens est gau- su  
dii artificium, lare mentis conficitur. Re- cu  
bus, quas appetimus, non inest voluptas,  
nec quas horremus, dolor: animus u- na  
trumque facit, complex utriusque. Sæpe ast  
enim quod uni placuerit, fugiet alter, & qu  
quod abominatur iste, ambit ille. Affe- qu  
ctuum differentiam res ipsæ nõ gignunt, qu  
sed voluntas: quæ quia libera est, potest, riò  
quibus velit, gaudere, & quâ facile libet, qu  
induere cuncta. Rebus manentibus varia- ris  
tur affectus. Illæ insipidæ sunt, donec vo- m  
luntas saliat: ad ejus condimentum aut ris  
dulcescunt, aut amarescunt; prout ob-  
sonaverit, sapient. tas

3. Quid oberramus per avia inquiren- re.  
do felicitatem, ubi non est? Per plura tar  
progressi majus intervallum facimus, & ni  
longius



nihil longiùs distamus à fine. Quò plùs vide-  
 carere mur accedere, recedimus. Pergimus per  
 no lo- viam cupiditatum, ut pertingamus ad ter-  
 ant! at- minum non concupiscendi. Contrahe  
 tunæ, desideria tua, & iter abbreviâsti. Qui an-  
 a quia telucanis votis non præcipitat exitum,  
 nimus non incurret in avia; imò non itinerando  
 t gau- se reperiet in termino. Si nihil cupere  
 r. Re- summa felicitas est, cur cupimus, ut non  
 cupiamus, cùm liberum sit concupiscere?

4. Calamitosus est, qui timet: infortu-  
 nus u- natus, qui sperat. Ultramque fortunæ  
 Sæpe astutiam intercipit, qui neque sperat, ne-  
 er, & que timet. Omnis doloris cardo est, vel  
 Affe- quia habemus, quod non volumus, vel  
 gnunt, quia volumus, quod non habemus. Cla-  
 potest, riùs dicam: deest, quod cupimus, adest,  
 e libet, quod odimus. Hæc sunt elementa dolo-  
 varia- ris. Verùm tolle affectum in res pronissi-  
 ec vo- mum, & te ab omni fortunæ casu exem-  
 m aut- ris.

5. Quàm libera est ad agendum volun-  
 ut ob- tas, tam quoque arbitrii tui est non dole-  
 uiren- re. Remedium omnis calamitatis est mu-  
 plura- tare voluntatem, rebùsque, prout eve-  
 us, & niunt, accommodare. Hac ratione emol-



lies, quidquid ſenſum excitare poteſt. Deſi v  
lor verecundus eſt, non ſponte ſe ingerit tua  
venit duntaxat advocatus. no

6. Ars magna eſt, noſſe quid velis, & nun  
quid velle debeas: indè omnis animi tranſbor  
quillitas, indè gaudium, & beatitudinaria  
Deſine velle, & major eris mundo univerſur  
ſo. Ut caſibus fortunæ ſuperior ſis, ſis primor  
major te ipſo: de te ſupereſt, ut emineat illa  
rebus, ut ſis lætus, felix. Non omnes iniqui  
tilatio corporis felicitate exiit; ſunt, qui 8  
amputatâ dextrâ, ſciſſâ tibiâ, ſectò armotum  
effoſſo lumine gaudere poterant, & reſpoſ  
nere quietem ſui. Impertinens eſt gaudium vol  
quod pertinet ad caſum. Quidquid exciſſa  
dere poteſt, non venit in cenſum bonoſur  
rum. Satis eſt, animus conſtet ſibi, etiam Si v  
in lacerato corpore. Si tibi ſufficis, omni pri  
bus abundas: idoneo votorum uſu ditiffiſſi tot  
mus eſ. qui

7. Non ames abſque delectu, ſed adven  
te in quid colloceſ affectum tuum. Perſis r  
clitaris enim decipi, & tunc domi tuæ domini  
lor erit, & pœnitudo. Si cupieris, quod cup  
lieni eſt arbitrii, ſubis diſcrimen non ob 9  
tinendi, volo dicere, temet affligendi: viſ  
ſi vel



st. Dosi velis solùm, quod habes, quod in manu  
 ngerit tua est, securissimè gaudebis. Igitur id  
 nolis, quod pollens non sis efficere; id u-  
 elis, unum velis, quod cùm velis, possis, id est,  
 ni tran bonus esse, bene operari. Hanc poten-  
 titudo tiam vis nulla infregerit. Æquè felix vide-  
 ni uentur, qui potest, quæcunque vult: ac qui  
 is pri non vult, nisi quæcunque potest. Beata  
 mine illa voluntas, quæ habet, quidquid vult:  
 es mu quia non vult, nisi quod potest habere.

nt, qu 8. Gaudium est quoddam complemen-  
 o ar motum desiderii, rei que desideratæ, cùm  
 & re possessionis jure fungitur amor. Igitur  
 gaudio voluntatem sic instrue, ut cùm nequeas  
 d exc habere, quantum potes desiderare, illud  
 a bono duntaxat desideres, quod potis es habere.  
 , etiam Si voluntatem facultati exæqua veris, tum  
 , omni primùm beatus eris. Si hæc dissenserint,  
 diti toties miser eris, quoties concupieris ali-  
 quid. Voluntas parùm potentis exæqua-  
 ad ve tur optatis, si parùm optet: sicut & optan-  
 Per tis multa, quia potest multa. Non est e-  
 tuæ do nim felicitas in nimis, sed in possessione  
 quod cupiti, in exæquatione voti.

non ob 9. Si guttâ potes sitim extinguere, cur  
 endi: vis ex flu vii alveo aut Oceano eam irrita-  
 si vel



re? Si ex abſtinentia ſaturâris, cur ex in-  
gluſie mavis eſurire? Æquè inſanis,  
cùm poſſit animus modico impleri, vota  
extendis ad plurima, ſemper famelicus,  
nunquam ſatiandus; Cupiditas ſphæram  
ſuam in immenſum diffundit; at minùs  
eſt ſapientis habere multùm, quàm nihil  
deſiderare. Nolendo enim impletur vo-  
luntas, & abſtinentia deſideriorum ſatu-  
rat voluntatem. Age nunc! quid ex duo-  
bus eligendum ſtatues? ex inopia ſacietate  
tem, an ex copia eſuriem, indigentiam  
dolorem?

10. Multùm ſe promovit, qui ſpem o-  
mnem ac timorem exiit. Attigit enim  
quietem animi, quò nullus eum fortuna  
favor extuliſſet. Poſteſt quis ſui ipſius eſſe  
benefactor maximus: nihil volendo, plùs  
ſibi largitur, quàm alii dando orbem uni-  
verſum. Non pauci mundi opes contem-  
pſerunt; at nemo non zelat ſuper ama-  
niſſima quiete nihil cupientis.

### *DECAS II.*

11. Si ſtatuiſti, quæ te impetunt, ſuffer-  
re, immenſo te moleſtiarum onere libe-  
raſti. Expediſti enim te ab impatientia  
quæ



quæ est filum mala omnia connectens, & janua, per quam tota infelicitatis moles animum subintrat. Impatientia nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat, & impinguat. Ægre toleras dolorem istum? igitur velles minorem? hoc ipso quòd nolis ferre, magnum facis; ferendo solùm minor redditur.

12. Nolendo sufferre, malum malo superaddis. Impatientia enim duplex malum generat: unum culpæ, quod ipsa est: alterum pænæ, quod doloris; adeoque novo onere gravat oneratum.

13. Dum malum perfers, vita iracundiam; dum operaris bonum, exhibe hilaritatem. Nihil est, quod animum ità delinuat, uti exercitium agendi bene: nihil quod ità exacerbet, uti impatientia tolerandi mala.

14. Fac mens tua passionibus vacet, & major eris Alexandro. Ille mancipium fuit sui, suæque cupiditatis; tu liber eris, tui omniumque Dominus. Tale Dominium quis non præ vilissimo illo mancipatu elegerit?

15. Libertas animæ eminent dominio U-

E;

niversi



niversi. At quomodo spiritus erit liber  
vinciatur affectibus? Qui passionibus  
obtemperat, mancipium est multorum  
tyrannorum.

16. Subegisse inordinatos animi affectus  
ingens est victoria: neque minor triumphandi ratio, si cupiditatem, quam  
castrum munitissimum expugnâris.  
trumque excedis, si, quod viceris, virtuti  
debeas, non passioni. Sunt enim non  
nulla vitia, quæ se invicem impellunt,  
numque ab altero impugnatur; at qui  
malum malo vicerit, non vincit, sed  
ctus est.

17. Tametsi duo vitia se mutuò infestent  
neutrum tamen hostem suum castrum  
exuet, sed ligatum duntaxat tenet, & quæ  
carceri mancipatum. Ast ubi occasio  
luxerit, obices omnes perfringet, red  
detque vicem peiori malitiâ.

18. Quemadmodum is parùm proficit  
qui ramos decutit, arbore, quam excisat  
vult, virori suo relictâ; ita dum vitii  
dix integra perseverat, virtus secura non  
redditur. Passio passione non tollitur, ne  
que unum vitium altero solet expugnari.

19. Sunt



19. Sunt, qui à vitio abhorrent, non amore virtutis, sed affectu alterius vitii. Infelix odium, quo persequeris malum, nisi id facias ex amore boni. Malum odisse, ut alio malo fruaris, quæ virtus?

20. Potest non immeritò mirum videri, ea vitia, quæ sui similitudine proxima sunt virtuti, præ cæteris magis esse cavenda: eadem scilicet ratione, quâ fictus amicus plùs solet nocere, quam hostis apertus. Incidemus in pedicas fucatae virtutis, nisi visum acuerit passio suppressa.

### DECAS III.

21. Ars Princeps vivendi est, scire amare bonum, atque illud cognoscere. Per geminos hos aditus dolor omnis animum subintrat; vel quia erramus amando, vel quia fallimur cognoscendo. Passio efficit, ut ambiamus malum, ignorantia nè dijudicemus bonum.

22. Vis securè progredi, ducem adhibeto veritatem, non opinionem. Apprehensio, & metus mala omnia effingunt, atque indè nundinantur sensum doloris gravissimum.



23. Siniftra inæqualitate rebus comp-  
nimur: ploramus, de quo gaudere oportuit,  
& gaudemus de eo, quod foret de-  
plorandum. Peſſimè hos affectus diſpen-  
ſamus: jam læti, jam triftes, ubi nec ma-  
roris objectum eſt, nec cauſa lætitiæ. Pra-  
ſtaret confundi, & erubeſcere, reſ tam vi-  
les, tam ineptas occupare., nè dicam al-  
terare ànimum noſtrum.

24. Plus nos oppugnant mala, quæ fini-  
gimus, quàm quæ reipſa ſunt mala: acer-  
bius quoque ab iis affligimur, quæ credi-  
mus eſſe, quàm quæ reipſa ſunt. Opinio-  
nis hoc faſcinum eſt, quæ nos in contra-  
rias rebus cenſuras præcipitat. Non affi-  
ceret nos injuria, niſi putaremus affici.

25. Divitias bonas eſſe cenſemus; non  
ſunt. Uſus duntaxat bonus eſt: honeſta-  
mus illas, cùm occasione mali iis utimur  
bene.

26. Parùm boni divitiis ineſt; malorum  
enim penè omnium cauſa ſunt. Impellunt  
in pericula, ſolicitudinibus torquent, cu-  
piditates laxant, omnibus vitiis aditum  
aperiunt. Inquietant concupitæ, poſſeſ-  
ſæ cruciant, amiſſæ affligunt. Anne par-  
vum



vum malum erit, per quod & mali effici-  
mur, & intanta mala præcipitatur.

27. Longè ac majus ac sincerius bonum  
paupertas est, sine curis, sinè periculis, si-  
nè damnis, tota composita in bonum ani-  
mi, & corporis: nemini invidet, nemini  
nocet, nisi abhorrenti. Contrarium divi-  
tiæ habent, iis obsunt, à quibus appetun-  
tur. Quodsi damnum aliquod indè senti-  
tur, vitium non est, in paupertate, sed in  
paupere.

28. Hallucinaris graviter, si feliciorum  
judicas, qui ditior est: tametsi illi, quàm  
pauperi, substantia amplior, majorque à  
plebe respectus. Quantumvis enim plu-  
ra habeat, eget tamen etiam pluribus, ne-  
que desunt pauciora. Pauperi deest, cujus  
natura indiget: diviti, quod vanitas sua  
exposcit.

29. Diviti deest, quod cupit, pauperi  
solùm, quo eget. Ille indiget, unde alat  
omnia vitia: iste solùm, unde sustentet vi-  
tam. Cui deest etiam illud, quod habet,  
propriè pauper est: qui non eget illo, quo  
caret, reipsâ dives. Non enim est pauper,  
qui caret, sed qui eget; non eget autem,

Es

qui



qui caret, sed qui desiderat. Multi egeni sunt, non quia non possident multa, sed quia non contentantur paucis.

30. Quærere in divitiis voluptatem abjecta vilitas est; ambire iis honorem, illusio: ipsa in illis vitia desiderare, infame delictum. At qui uni satagit necessitati occurrere, næ ille quàm citissimè attingens scopum paucis sese contendandi. Qui nihil cupit, nulli necessitati obnoxius est.

DECAS IV.

31. Tametsi corporis salutem æstimes uti rem admodum bonam, exinde ægritudo censenda non est uti magnum malum. Multos morbus docuit esse morti obnoxios, quos sanitas jurasset esse immortales. Expediit hanc larvam detrahi, & clariùs nosse, qui simus. Persuasissimum habere, ex sanissimis plures esse morti vicinos, quàm quos Medicorum cura deposuit, quin & non paucos morbis exhaustos vitam superasse valentiores.

32. Vita dicenda est bona, cum bene impensa fuit; & mors tunc solùm mala, quando præcessit vita non bona. Sola vita malitiam transcribit in mortem; quid quid



quid mali habet, à vita habet. Qui moritur, legem naturæ implet, non committit culpam. Multis noxium fuit diu vixisse, at nulli, qui bene vixit, nocuit citò obiisse. Non idem est diu fuisse, ac diu vixisse.

33. Non hoc est amittere vitam, quòd mors opinione citiùs occurrat. Nam perinde est, si dicis te perdere, quod debes, quàm si nege te debere, dum solvis. Sub conditione moriendi nascimur, atque eo fine vitam ingredimur, ut indè denuo egrediamur.

34. Cur formidemus mori, qui omni vitâ aliud non egimus, nisi mori? Cùm moritur quispiam, desinit vivere, & dum nascitur, incipit mori. Non minùs verum est nos morituros, quàm nos actu mori. Et quis tam insipiens ut neget se agere, quod agit? Si moreris juvenis, moriuntur tecum vitia; si senex, morbi, & dolores.

35. Non tantæ bonitatis honor est, uti opinio fert, aut imaginariè fingit. Non enim quid opinentur homines, sed quid verum sit, refert. Nihil pensi habeas, si



loquantur de te malè, qui nihil faciunt bene, & loquuntur de omnibus malè. Siquod dictitant, verum est? non loquuntur malè: si falsum? plus sibi officiunt quàm tibi. Tu autem de omnibus bene loquere: turpe enim est terere vestigia malorum. Contemnere eorum dicta ceterissimè potes, impugnare turpissimè, neque absque molestia.

36. Quid obest, quòd non te laudent alii cùm mereris? & si non merueris, quid prodest laudari? Ama potiùs laudabilis esse, quàm laudatus. Ægrotus non sanatur, quòd dicatur sanus: sic neque exinde bonus eris, quòd te alii bonum prædicent. Laus quidem absque meritis vituperium est; at meritum absque laude virtus honorque. Invidia semper virtuti comes est, atq; ipso odio, quo eam deprimat, exaltat.

37. Nunquam, quod toleras, videbitur grave, si onus tuum contuleris cum alieno. Vis non dolere? sufferas: tolerando aciem malorum obtundis. Si à debilitate flecteris? Ratio te erigat, & robur addat. Si ex culpa læderis? tolerando satisfacis. Si insons es? vel sic quoque ferendum est,



nè culpabilis fias. Culpa est non ferre, quod ferendum est.

38. Qui, quod deperierat, casu amiserit, modò se conservârit, non habet, quod plangat. Multos perdidissent divitiæ, si non priùs perdidissent illas. Verùm jam invaluit hic error, ut damnum judicemus, quod remedium est: putemus jacturam, ubi lucrum est. Qui nimiùm dolet amissas opes, jam penè seipsum amisit. Plures perdidit substantia servata, quàm amissa. Qui pecuniam surripit, fur est: qui retinet avarus: qui expetit, pauper: qui deplorat, miser: qui amittit, opinione suâ infelix? at forsitan indè felicior.

39. Stultè indignaris, quia, quod non sperabas, evenit; sperabas enim, quod nemo promiserat. Nihil in humanis constat sibi: suis duntaxat mutationibus fixa sunt omnia. Stylus & cursus vitæ est, mala cernere, & pati. Nemini contigit felicem esse, & semper. Instabilitas fortunæ regularis est: nullum excipit ab ingenio suo. Faciens jacturam non cogites quid amiseris, sed quid servâris. Qui perdit omnia, habet tamen unde gaudeat, si amissis omnibus servârit seipsum.



40. Non ideo reputes bonum esse aliquid, quia cupidè ambiisti: nam sæpiùs per jacturam implentur vota, & felicitas procuratur illusa cupiditate. Noli credere affectibus tuis: uti fallunt judicantem, ità confundent eligentem. Agendorum omnium regula & gnome Ratio est: hac amissi æquabis omnia.

*DECAS V.*

41. Res mundi hujus jam eò vilitatis processerunt, ut careant splendore etiam fucato, imò vix habeant, unde fallant. Majoris proinde pretium operæ est, generosè illas despiciere, quàm, quod solemus, sollicità industriâ procurare.

42. Vita nostra peccanti mors est: non peccanti nox: felici hora unica; infelici sæculum: speranti somnium: virtuoso vita, ast fortunato brevissima, misero longa. Tempus, quod citissimè labitur, jucundissimum est.

43. Compendio quodam molestias vincit, qui facilè tulit. Ejusdem scientiæ est pati & vincere: utrumque patientia docet, cui se incassum telis omnibus opposuerit fortuna. Discendo pati dediscimus miseriam.



44. Quemadmodum sensus omnes præsupponunt contactum, ita virtutes reliquæ patientiam: absque hac orphana erit virtus omnis, imbecillis, imò nulla: indè enim velut ex gremio, ac nido nascitur omnis operatio virtuosa.

45. Vis leniùs sentire, quod premit graviùs? applica voluntatem, id est, ferto libenter. Imminuit gravissima, qui sæpiùs tulit: ferendo attenuantur mala. Non solum prudentia, sed & patientia plurimum experientiæ debet.

46. Assuesce paucis contentus vivere, & ditabis te pretio virtutis, eritque solatio, quod aliis solet esse calamitati. Egestas enim non est virtus, sed amor egestatis. Illa gemit deesse aliquid, iste gaudet se plurimis non egere.

47. Qui paupertatis amicus non est illi paupertas est hostis infensissimus. Omnia malorum genera in odientem effundit: nam præter ea, quæ habet sibi agnata, insuper instruit ad patranda majora. Non est malum, quod necessitas non attentet, detergens omnem ruborem virtutis, & excutiens verecundiam audendi.

48. Di-



48. Divitiæ de se malæ non sunt, sed contemptibiles, & periculosæ: solus usus eas honestare potest. Res optimæ absque usu suo pessimæ fiunt. Quantis usibus apertus est ignis! at pyrio junctus pulveri, quæ non mala conciliat? Affectu nostro operamur vitiamus, usu restituimus. Si vis, instrumenta virtutis sunt, aut manubria vitiorum.

49. Pessima quæque patrârit aurum nisi in manus bonas reciderit: tunc solum bonum est, cum alienatur. Ut proficit domino, suo, dimittendum est: servatum pessimè nocet. Quamquam dubitem, uter plus laudis mereatur; qui accipit, an qui donat?

50. Opulentiam Bion appellavit vomitum fortunæ: quasi ructaret, quod nimium est, vel rejiceret, quod vile. Quemadmodum enim, quod cum violentia regurgitamus, impurum est, ita quod fortuna donat, infidum.

#### DECAS VI.

51. Alienum reputa, quidquid bonorum mundus habet, aut pollicetur: undantaxat virtuti propria est fortuna. Ne dixeris:



dixeris: perdidisti hoc aut illud: nam nihil tuum est, mutuata omnia. Noli dicere: liberos perdidisti, sed dic: reddidi. Habebant illi, cujus essent magis, quam tui: apud te precario morabantur. Neque dicas: pecuniam perdidisti: potius gaude, quia iam non debes. Mutuatum bonum erat, reddendo te liberas debito reddendi.

52. Nihil interest, pro quo creditor exigat pecuniam, dummodo debitor exolvat. Quid tua refert nosse hominem, pro quo Deus recipit, quod tibi mutuârat? an pro amico? an pro hoste? an pro merente? aut pessimo? Satis est te debuisse, & Creditorem recipere, quod suum erat.

53. Ille ex vero Dominus est, qui juxta quod placet, aut displicet, agit, disponitve. Hoc tu non vales, nisi cum virtuosè agendum est. De virtutibus liberè disposueris, non de fortunæ bonis: quibus si volueris dominari, cogèris famulari, factus mancipium alieni arbitrii.

54. Efficere ut nihil tibi eveniat mali, rara foret sapientia, rara felicitas. Porro istud tuæ potestatis est, ut casus adversos ritè excipias, & de malis bona distilles.

Præter



Præter malum culpæ nullum aliud est quod sub cortice nõ operiat aliquid bonum.

55. An cuperes dives esse, si unà fieres mancipium Tyranni? Quis rerum omnium abundantiam, aut plura etiam Regnum præposuerit libertati? An verò quam censes, ex duabus pejorem? animi an corporis servitutem? Eam haud dubiè quæ meliorem tui partem subjicit. Nunc igitur scias velim: animi veram libertatem sciam esse in contemptu divitiarum.

56. Nunquam non memineris te hominem esse, & quæ tibi evenerint, inter casus humanos numera. Necessè est, eveniant quandoque adversa; verùm expedit inde non moveri, neque magis, si videas in te incurrere, quàm in alios. Mutularis manu; quid interest? res est, quæ pluribus contigit. Ad summum dici poterit casus.

57. Non quidquid boni speciem habet, illico concupiscas; adeò nempe absorptus in finem, ut quibus mediis eò pertingas, non advertas. Variis locis orbis delicias posuit, at quæ te via illò duxerit, vel ardua est, vel nulla. Sit licèt bonum, quod appetis,



appetis, si frui non potes, nisi blandiaris alteri, vel inquietes te, præstat negligere.

58. Calamitatem cavè uti malam despereris, sed venerare tanquam principium boni. Non te terreat species externa: nam & homo cùm auspiciatur esse, formam embrionis refert; at quantæ rei hoc modicum initium est?

59. Noli sapere cum vulgo, neque verum credas, quod æstimatio popularis dictârit. Æstimanda sunt iudicio, non numeranda. Non exinde, quia vides jucundarialiquem, illico dixeris: magnum illi bonum obvenit. Neque ideo, quia tristatur aliquis, iudices malum ingens incurrisse. Usitatisimum est nos apparentiis falli, & quosdam gaudere in malis, alios dolere in bonis.

60. Ex fine iudicandum est de rebus. Si ad bonum tendant, tametsi principio videantur malæ, bonæ sunt. Si ad malum deflectant, non obstante quod bene cœperint, malas esse necesse est. Quidquid brevi fine clauditur, modicum est: duratione restaxandæ sunt, non quantitate.



61. Ratio bonitatis fundata eſt in operatione bona, id eſt, in virtute, quæ cum nihil fortunæ debeat, nihil quoque ab invidia pavescit. Extra jus utriusque eſt; nihil fortuitum videt, nihil timet advenire. Id totum in manu tua eſt; & quemadmodum à mortalium nemine hoc theſaurum expectes, ita quoque nulli invidias. Non reputa felicem, quem fortuna beârit: periculum, quo laborat, commiſerationem meretur, non invidiam.

62. Cùm videris honore aut opibus pollentem aliquem, non continuo aſſeras hic felix eſt; dicito potiùs: hic periclitatur eſſe infelix. Cui nihil aut parùm domi eſt, caret iſto periculo. Si quæ mundus offert, aut opinio fingit, rei ipſa bona forent, id tamen haberent mali, quòd cauſa eſſent malorum.

63. Nemo livore tangetur in alios, nemo vilipendet, quiſquis non ad id, quòd modò ſunt, ſed qui fuerint aut futuri ſint, oculos reflectat. Ille prædives eſt, & opibus abundat: forſitan brevi viſurus eſt mendicum. Ille Magiſtratum tenet, & hono-



honoribus fulget: quid si obscurus carcer eum excipiat? Iste pauper est, & iro abjectior: quis novit, si non perendie ejus ope egeris?

64. Si quereris te immeritò non eventum eò, quò pessimis artibus penetravit palponum aliquis; aut æquas illum malitiâ, aut novam committis. Res mundi hujus nemo gratis comparârit, omnes pretio valent: moneta currens adulatio est. Si cum hac non licitâsti, quid miraris, si nemo dederit. Hæ merces alio pretio emi non solent. Quod si & tu hunc nummum porrexeris, exitio tuo scies, quid emeris.

65. In venditionibus consuevit dari aliquid, & accipi aliquid; at qui nihil emerit, nihil quidem recipit, sed & nihil amittit, retinens quæ habebat. Quid quereris, tibi non præberi, quod dari solet in exitium petentium? sufficiat, quod nuper possederas, & quòd interitu ereptus sis: quòd in adversa duraveris animum: quòd vilia despexeris, id est, merentia despici.

66. Quis adeò mentis est inops, ut quo vestem comparet, se vendat in mancipium? Et tu animum servituti addicis, ut  
corpori



corpori mollius sit. An nescis hujus saginâ illū attenuari? Quod si in hac procuranda laboras nimium, jam mancipium es ejus, quod deperis, punitus merito tuo, & animâ vinculis mancipatâ, tametsi corpus liberè deliciis vacet.

67. Res inter humanas laudabilius nihil, ac animus despiciens laudis, & gratis serviens virtuti. Nihil illa præter se pretiosius habet, sinè muneribus & arrhis temporalium sui valor, & merces. Major rerum usus contemptus est, major & fructus. Nam usus dominum sequitur: nullus autem ex vero rerum dominus, nisi, qui contemnit, qui deperit, non dominus sed servus est: non possidet, sed possidetur. Quò majores res fingit opinio, eò major est animus vilipendens. Honore nihil magis æstimari solet, illo igitur major est, qui contemnit.

68. Mundi bona sunt instar urticarum, quæ de longinquo virore placent, sed tangentes urunt, & morficant, Dum speres, & quasi à longè videas, bona videntur; ubi frueris, pungunt, & vulnerant. Quæ divitiæ curis? quis honor ignominia? quæ voluptas acerbitate suâ caret?



69. Stultus semper desiderat, immemor eorum quæ habet, licet cupitis meliora: quasi præsentibus offensus ad absentia properat, illis quoque, ubi adfuerint, irritandus. Nullius fruitur, & omnibus inhiat, fuismet ipse torquetur votis.

70. Malè concupieris illud, cui omnes insidiantur, & quod à nemine securum est: multitudo ambientium officit, nè obtineas: numerus invidorū, nè quietè possideas. Res terræ hujus montanæ sunt, & instar ferarum; quò magis accesseris, eò fugiunt magis: ambientem declinant.

*DECAS VIII.*

71. Non est Sapiientis appetere, sed velle: non timidum esse, sed cautum: non voluptuari, sed gaudere. Nihil desideret, nisi cum ratione: cautè præveniat, sed cum quiete: liberè gaudeat, sed cum honestate: de nullo doleat, nisi de peccato; quamquam ubi ratio ad est, peccatum adesse non debet.

72. Virtuoso ea præ cæteris prærogativa est, quòd inter ipsa tormenta felicitate non careat. Non judicat esse malum, unde non redditur malus. Culpam timet, poenam



pœnam suffert, voluptatem fugit, & totum fortunæ imperium pro nihilo habet: solâ patientiâ armatus in omnem ejus tyrannidem audet.

73. Ut fortuita non te commoveant, maturè prævideas: eveniant præter voluntatem, non præter opinionem: si non prævolita, sint saltèm prævisa. Non velis te exemptum calamitatibus humanis, sed erroribus. Quidquid statueris, hanc appendicem addito: *Nisi casus adversum aliquid immiserit*: non quòd timeas iram fortunæ; sed ut prævenias.

74. Licèt eventus non adverteretur consiliis, si tamen non respondeat optatis, etiam ex hoc modico torquetur animus. Qui quod sperat, non præfixerit certò eventurum, mollius fert vota sua illudi.

75. Convenit in id advertere, quod evenire potest, non quod solet. Mala quæ in aliis mollit assuetudo ferendi, in te enervet cautela prævidendi. Non solet nauta, dum cœlum aspirat, & aura blanditur clavum deserere, aut remos abjicere: semper parata habet, quibus tempestati occurrat. Ità sapiens dum fors afflat

benignior



benignior, non sit immemor adversæ.  
Etiam tela fortunæ non feriunt prævisa.

67. Genus libertatis est servire sapien-  
ti, uti species servitutis, imperare stultis.  
Qui desipit, duplici malo obnoxius est: in-  
sipientiæ, quâ gravat seipsum, malitiæ  
quâ cæteros. Veluti enim sapiens supplet  
ingenio, quod deest facultati, ita stultus  
prudentiæ, quâ caret, supponit malitiam.

77. Amentibus hæc propria esse Aristo-  
teles scribit: *Facile ac perperam judicare; præ-  
properè mentem edicere: nolle uti præsentibus:  
de rebus vitæ honestis ac bonis malè opinari.* At  
ego majoris longè insipientiæ esse autu-  
mo, nosse bonum, & tamen facere malû.

78. Non sapit ille plurimùm, qui novit  
plurima, sed qui, quæ novit, sapienter  
disponit: non qui explanat recondita, sed  
qui inquirat in vera: non qui ratiocinatur  
multùm, sed qui appetit modicum: qui  
affectus suos contrahit: qui seipso conten-  
tus est, & à fortuna independens.

79. Beatus ille, qui pluribus non eget,  
ut contentus vivat, quàm ut vivat. In  
hoc egemus cibo, somno, veste, aliòque  
apparatu: in illud sufficit animus utrius-

F

que



que fortunæ contemptor, æstimator celestium, Deique æmulator, qui absque accessu alterius boni seipso beatus est.

80. Vis rebus omnibus dominari? contemne. Non parvus rerum usus contemptus est: quin & domini pars melior non possessio, sed usus & fructus. Uti rebus nemo melius, quàm virtuosus noverit, nemo magis de illis gaudere; nam major ejus usus, contemptus est. Cæterum quid post longum rerum usum haberi let, nisi fastidium earundem? idem habet ante felicitatem, qui contemnit.

*DECAS IX.*

81. Nullus magis servus, quàm improbus, nemò magis ingenuus, quàm virtuosus. Quæ enim libertas major, quàm vivere uti velis? hanc nemo tibi sustulerit, vitioso fors ista non evenit, subest dominatio cupiditatù. Lex ei interdicit, quod appetit & quod appetendù foret, vitia impediunt. Qui ex virtute vivit, ductumq; rationis sequitur, illù nihil de proposito deturbabit.

82. Libertas nemini major contigit, quàm qui velit, quod Deus vult. Hujus voluntati nihil adversatur: semper enim

exequi



exequitur suam. Ille verus sui Dominus est, qui voluntatem accommodat rebus, non res voluntati. Qui secum ipso, uti vult, disponit, hic perfectè liber est.

83. Malus tametsi imperet, servus est: bonus, etiamsi serviatur, Rex. Ille non unius hominis sed multorum vitiorum mancipium redditur: iste sui Dominus est, & Monarcha suarum cupiditatum. Quid enim est imperare, nisi pollere potestate alteri non subjecta? hanc solùm, ait Chrysippus, reperire est in sapiente.

84. Patientia efficit, ut injuriæ non sentiantur: charitas, ut non inferantur. Si præter virtutem aliud non æstimes bonum esse, nec molestia quantavis videbitur mala, nec ullum infortunium grave. Non reputes te infamari ab eo, quod alter dixerit, sed quod tu patrâris.

85. Nolim, studeas placere omnibus: age potius, quod paucorum est. Fac satis conscientiaæ tuæ, & quid alii blaterent, nihil pensi habe. Laus est malis displicuisse. Interest, quis opera tua probet, quis sigillet. Præstat enim placuisse sapientium aut bonorum uni, quàm integro mundo



malorum. Sensatissimè, Philosophorum  
aliquis: Non eris felix, nisi te populus iri-  
rideat.

86. Assuesce semper bene agere: quia  
fama magnis impensis alitur; neque ulli  
morbo tam ægre medeberis, uti existima-  
tioni læsæ. Sors est eam indipisci: sine in-  
dustria nequit conservari.

87. Innocentissimè sese ulciscuntur pro-  
bus, & improbus: ille si persistat probus  
esse, iste si incipiat. Felix vindicta! quæ si-  
nè partium præjudicio novit prodesse.

88. Si, quod adversum te dicitur, ve-  
rum est? gaude te admoneri: si falsum?  
reputa te commendari, & infensum tibi  
cùm non haberet, quod objiceret, finxit  
se. Hoc laudari est, non infamari. Nam  
apud Sapientes laus à perverso vitupera-  
tio est, injuria commendatio.

89. Cur annuis tam facilè calumniantur  
te, & exples vota volentis malè? Ira sce-  
ris; quia re iratum vult. Exprobrat tibi  
ut te irritet, non ut corrigat. Ulciscere te  
frustrando vota ipsius; id est emendando  
te, non indignando, sed dissimulando,  
quasi læsus non fueris. Sapiens injuriam  
non accipit, sed fert.



90. Si non potes mederi rebus, medere tibi ipsi mitigando sensum aut contemptu illius, unde ortus est, aut advertentiâ incommodi, quod post se trahit pœnitudo rei jam non reparandæ. Quòd si & damnum irreparabile sit, cave nè id eveniat tibi. Potest ab alio casus inferri, cui remedium non sit: ut mederi nequeas passioni tuæ, nemo nisi tu ipse causa veris.

## DECAS X.

91. Vitium iracundiæ sibi ipsi adversatur: tollit enim Rationem, ubi Ratione maxime opus est. Quo enim casu requiri magis iudicium putes, quàm ubi vel amentia liberandus es, vel periculo immani? quæ autem dementia major, quàm ut ulciscaris te de alio, periclitari de vita tua? Vulnerus tuum non claudis, si aperias sæviori ictu alterius latus. Damnum, quod putas tuum, non sarcit vindicta alieno.

92. Si appetendo vindictam nihil egisti, quid superest nisi rancor, & dolor? Præbuiisti enim nova arma hosti tuo? id est: ansam se vindicandi; atque adeò idem erit supplicium, & vindicta; dùmque ultionem infers, ultionem pateris.

F3 101 bel 21909a n 93.



93. Premeris egestate? sed indè securus es: hoc opulentis evenire non solet. Suf-  
ficeret alterutrum; at tu meliori loco es  
quia pejus videtur periclitari de vita  
quàm in modico molestari.

94. Noli illud ambire, quod cùm obti-  
nueris, æquivalet amisso. Aurum simile  
est noxio humori, qui si non consumatur  
consumit. Deo suo infidelis est, qui de eo  
quod superabundat, non dispergit in illos  
qui necessariis carent. Data sunt à Deo,  
ut darentur.

95. Quæ dementia! ut nemini subje-  
ctus sis, te mancipium fieri nummorum.  
Si subjici oportet, minoris certè infamie  
erit, subjici homini, quàm metallo.

96. Ambitiosus, ut imperet hominibus,  
subdit se vitiis, & passionibus obedit. Qui  
causam suam credit fortunæ, malum eli-  
git Advocatum. Meliorem fidem tibi Vir-  
tus præstiterit: cùm ea non curabis, quid  
fors attulerit; satès erit, si imperes tibi.

97. Ab ira Fortunæ tuta mediocritas est,  
usualem illam reddit, & sistit. In magnis  
censibus multa superflua sunt, omnia su-  
specta. Præstat non periclitari, quàm a-  
bundare



bundare. Tametsi in quosdam prodiga sit fortuna, nemini tamen, qui plus cupit, quàm egeat, datura est satis.

98. Non indè te æstimes, quòd vilipensionem aliquam tuleris moderatè: non plus virtutis habet patientia tua, quàm cupiditas ambitiosi, devorantis mille contumelias, ut potiatur optatis. An gloriaris virtutem tuam similem esse alterius vitio? quanti est, si sufferas pro bonis æternis, quod tot alii tolerant pro caducis?

99. Melius est non affligi, quàm solatiũ accipere. Quæ in mundo universo voluptas? quod gaudium tale, quo vel unicus capiti tuo canus auferatur? At molestia non gravior te facit una senem. Prudentis est, servare sese casibus, in eventus instructum esse, absque ambage solatiorum placidè quiescere, & optatissimâ pace gaudere.

100. Calamitas querula est, felicitas superbit, Nulla est conditio, quam non infestet vitium aliquod, nisi ubi virtus dominatur. Qui sistens in medio extremorum damna sapienter evitat, qui adversis non dejicitur, nec prosperis elavatur, hic adipiscendæ virtuti proximus est.